



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

ratores duobus post huius decreti promulgationem mensibus, dicta ipsis Præpositis die vna cum illis ad nos veniant, deliberentque ac statuant nobis præsentibus, cui Præposituræ se addicere velint, qua quidem re semel deliberata & constituta, Præposituræ cui se addixerint, id officij atque obseruantia in posterum præstent, quod cæteræ parochiales Ecclesiæ eidem præstare solent.

Quod autem de Ecclesijs parochialibus constituimus hoc decreto; id etiam ad eas ecclesias pertinere volumus, quæ Archipresbyteratus nomine vocantur, etiã si hæc re ipsa collegium habeant.

Ab hoc tamen ipso decreto illas parochiales Ecclesias excludimus, in quibus alius est diuinorum officiorum ritus, atque ille est qui in Præposituris adhiberi solet: ad quas illæ huius nostri decreti auctoritate solum pertinere aliquo modo possent.

Decretum. XIII.

Parochi, & reliqui ecclesiastici in festo Corporis Domini in suam præposituram conueniant.

PAROCHI, ij etiam qui Archipresbyteri vocantur, alijsq; sacerdotes, & reliqui inferiores clerici, in celebritate Corporis Iesu Christi Domini, tũ in litanijs & maioribus & minoribus, ad Præposituram diœcesanam in cuius finibus habitant quotannis conueniant, & supplicationum & processionis munus superpelliceis induti omnes vna obeant; modo tamen eorum Ecclesiæ alium ritum in diuinis officijs non teneant, atque ille ipse est, qui in ipsa Præpositura feruatur.

Quod munus si quisquam præstare neglexerit recusatitve, id ei poenæ sit, vt per annum ab ordinis sui munere amoueat, aliaq; præterea poena mulctetur arbitrato nostro; idq; nisi vel ob itineris difficultatem, vel loci longum intervallum, vel aliam grauem ob causam sibi facultatè à nobis impetrarit, vt in sua Ecclesia id processionis munus præstet.

Decretum. XIII.

Quib9 olea sancta ferre non liceat.

NE parochi laicos homines, aut clericos sacris ordinibus non initiatos mitant, quibus sanctum Oleum & Christma ad se deferendum detur.

Decretum. XV.

INTER cætera pastoralis curæ officia, illud maximè à parochis requiritur, vt sacramenta, quæ diuinæ gratiæ instrumenta ad sanctificandas animas à Christo Domino instituta sunt, non solum purè, sanctè, & religiosè ipsi tractent; verum etiam vt ritus & cæremonias teneant atque adhibeant, quæ in illis administrandis sanctæ Ecclesiæ instituto atque vsu comprobata sunt.

Quare vt vna sit & eadem certissima rituum cæremoniarumque regula, qua in eorum sacramentorum administratione omnes vrbes & diœcesis nostræ sacerdotes vtantur; librum de sacramentorum ritibus, auctoritate nostra à viris grauib; & earum rerum vsu peritis emendatum ac restitutum, & à nobis sedulo recognitum in lucem emitti iussimus.

Ad cuius libri præscriptum omnes & singuli sacerdotes, qui in vrbe & diœcesi nostræ sacramenta Ambrosiano ritu & more ministrant, ita se instituunt, vt cæremonijs & ritibus eo libro traditis vtantur, neque vllis præterea alijs. ideoque mensè postquam hic ipse liber editus erit, omnes ij apud se illum habeant.

In quibus parochialibus Ecclesijs in tra urbem Baptismi fons nondum constitutus est, tribus post mensibus ex præscripto Concilij Prouincialis, & regula Instructionum nostrarum generalium omnino construatur.

Quòd si hoc ipso tempore à parochis, aut parochiarum incolis fieri vel negligatur vel planè omittatur; ne in ijs Ecclesijs Baptismi sacramentum ministratur, sed ij ad quos hæc cura pertinet, in Ecclesiam nostram Metropolitanam, aliamve Ecclesiam, quæ in vnaquaque porta eo nomine à nobis constituetur, infantes ad Baptismum suscipiendũ deferendos curent.

Decretum. XVI.

ID cura sit parochis & reliquis animarum curatoribus, vt quos compatres ita rudes esse animaduertent, qui fidei symbolum, orationem dominicam, & salutationem Angelicam ignorent; eos hoc munus obire ne patiantur, est enim ab omni ratione alienum, vt qui se Deo

Libro rituali edito omnino vtantur.

Fons baptismalis in parochialibus constructus. Prou. r. tit. q. per. ad bap. adm. s. Sin. gula. pag. 7.

Compatres in fidei initijs rudes repellendi.

hæc-